

Πρόγραμμα ἐορταστικόν

I N

ANNIVERSARIA SO-  
LENNITATE PENTE-  
COSTES N. T.

M. 15. XCV.

HONORI

SPIRITUS SANCTI

Tertiae SS. Trinitatis personae & para-  
cleti nostri gratiosissimi

*Dicatum & civibus Reip. literaria |  
publice Propositum*

Δ  
RECTORE ET SENATU  
ACADEMIE REGIOMON-  
TANÆ.



REGIOMONTI,  
Typis Laurentii Segebadii, Anno  
M DC XXVIII.



**R**Eduxit hoc vertentis anni tempus, Di-  
 vino Numine propitio, S. Pentecostes Festum, quo  
 Ecclesia Christiana visibilem illam planeq; stupen-  
 dam SPIRITVS SANCTI super Apostolos effu-  
 sionem, à Prophetis & Christo ipso sæpè prædictam  
 & ante annos plus minus 1595. factam, gratà men-  
 tu recolit. Festum spiritualis gaudii, solidaq; consolationis ple-  
 nissimum. Non prodesset nobis Christi natiuitas, non passio &  
 mors, non resurrectio & ad cælum adscensio, nisi, misso Spiritu  
 Sancto, per Apostolos & fideles eorundem successores, beneficio-  
 rum, inde ad nos redundantium, per uniuersum terrarum or-  
 bem fieret annuntiatio. Quis enim usus thesauri absconditi? Idcò  
 benignissimus Pater non solum magnum parauit beneficium per  
 Filii passionem, sed etiam toti mundo illud offerri voluit per Spi-  
 ritu Sancti missionem. Magna est DEI misericordia, qui dat  
 donum sibi æquale, quia donum eius Spiritus Sanctus est. Fidelis  
 mater utraq; infantulo præbet ubera: Sic æternus Pater non so-  
 lum dedit Filium, sed & donat Spiritum S. Hæc duo ubera vino  
 sunt pulchriora: perennes sunt hi uno beneficentia diuina fontes.  
 Quæ verba sunt B. Augustini de Verbis Apostoli Serm. 34. Sub-  
 stantialis amor Patris & Filii est Spiritus Sanctus: est ergò Spi-  
 ritus Sancti datio infallibilis diuini ergà nos amoris testificatio.  
 Quanta igitur & quàm ineffabilis est pietas Redemptoris! homi-  
 nem portauit ad cælum & DEUM milis ad terras. Quanta crea-  
 tori cura pro instauracione factura sua! Ecce iterum infirmos su-  
 os per se ipsa Majestas visitare dignatur: Ecce iterum humanis  
 diuina miscentur, inquit idem Ecclesie quondam Hipponensis  
 Antistes Sermone de festo Pentecostes. Agite igitur, cives Aca-  
 demici, inhareamus vestigijs Sancta matris, & tanti festi so-  
 lemnitas;

lemnitatem debitâ cum devotione & reverentia piè celebremus.

Est enim & hac dies, dies illa, quam fecit DOMINVS. Exultemus & letemur in ea! Quod si populus Hebraeus solemnitatem hebdomadam & primitiarum, ut Moses festum Pentecostes appellat, in recodationem promulgata in monte Sinai, inter fulgura, tonitrua horribilesq; tubarum strepitus, Legis, quinquagesimo, à Pascatis festo, die, solemniter celebravit: quanto aqnius est, Nos, qui Christo nomen dedimus, aliisq; viam ad pietatem praeire virtutemq; omnem debemus, Pentecostes nostra festum, quo Spiritus S. in salutem nostram cœlitus datus est, debitâ solemnitate & letitiâ peragere? Quod ut eò majori cum fructu fiat, hac quidem vice ex Textu historia Pentecostes, à Luca, Spiritus S. ammannense, in Actis Apostolorum accuratè descripta in vero DOMINI timore breviter considerabimus: Quomodo & Nos tantum tamq; venerandum hospitem (modo invisibili) accipere ac retinere queamus. Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris ignem in eis accende: qui per diversitatem linguarum cunctarum gentes in unitate fidei congregasti. Halleluja!

Accipere itaq; & retinere Spiritum Sanctum poterimus:

I. Sabbathum & festa solemniora in cœtu sacro piè celebrando. Datur enim Spiritus Sanctus Apostolis, festum Pentecostes in urbe Hierosolymitana celebrantibus, qua cultui divino à DEO ipso fuit destinata. Hierusalem, ait Vates Regius, ædificatur, ut civitas, cohabitatio ejus simul est; illuc adscendunt Tribus, Tribus DEI, testimonium Israël, ut confiteantur nomini DOMINI, Psal. 122. v. 3. & 4. Iudæi siquidem masculi omnes, ex præscripto divino, quotannis tribus vicibus in festivitatibus solemnioribus in templo Hierosolymitano andiq; confluebant, festis, inquit, ἡ ἑβραϊκά, πεντηκστής ἡ σὺννομήσις, ad recitanda præcipua beneficia, divinitus sibi exhibita. Et illud quidem celebrabatur mense primo, die mensis 14. ad commemorandum liberationis beneficium è servitute Aegyptiaca: Illud post 50. à Paschate

*Paschate die ad recolendū beneficium lata Legū, ut supra dictum:  
 Hoc verò ad recordationē beneficij divina protectionis & deductio-  
 nis per desertum, ubi in tabernaculis habitaverant. Hierosolymis  
 autem, non alibi super Apostolos Spiritus Sanctus effusus fuit. 1.  
 Ut implerentur vaticinia V. T. Esa. 2. 3. Mich. 4. 2. Ex Sion exi-  
 bit Lex (Evangelium) & Verbum DOMINI de Hierusalem.  
 Zach. 12. 10. Et effundam super domum David & super ha-  
 bitatores Hierusalem Spiritum gratiæ & precum. 2. Ut ipsius  
 Servatoris impleretur tum predictio, Luc. 24. 47. quod initium  
 predicationis Evangelicæ Hierosolymis fieri debeat, tum promissio  
 atq; ex parte Apostolorum, præceptum. Act. 1. 4. Congregans  
 eos, præcepit eis, ab Hierosolymis ne discederent, sed ex-  
 pectarent permissionem Patris (visibilem Spiritus S. effusio-  
 nem) quam audivistis ex me: quia Johannes quidem bap-  
 tizavit aqua: Vos autem baptizabimini Spiritu S. non post  
 multos hos dies. 3. Ut ostenderetur, in sola Ecclesia (cujus ty-  
 pus fuit Hierosolyma) S. S. charis atavigere. ET NOBIS Spi-  
 ritus S. eo maximè tempore confertur, quando in domo DEI Ia-  
 cob, in spiritali Hierosolyma id est Ecclesia, Sabbathi aliorūq; se-  
 Horum, in locum Indaicorum succedentium, sanctificandorum, nec  
 non divinatorum beneficiorum memoriam gratis animis recolendo-  
 rum gratiâ convenimus, DEO namq; non in V. solùm, sed & N.  
 Testamento sui sunt dies festi, Festivitate οὐρανῶν τῆς αἰῶ-  
 νος & τῆς γῆς: Paschatos Iudaici, Sancta Resurrectionis  
 Dominica dies, hebdomadam verò, Pentecostalis successit solenni-  
 tas. Quin ad Ecclesiam singularibus promissionibus præsentiam  
 & benedictionem suam DEUS alligavit: In omni loco, in quo  
 memoria fuerit nominis mei, veniam ad te & benedicam  
 tibi Exodi 20, 24. ubi duo vel tres congregati sunt in nomi-  
 ne meo, ibi sum in medio eorum. Matth. 18. 20. Vbi verò DE-  
 us Pater & Filius, ibi & Spiritus Sanctus; Est siquidem Pater  
 & Filii mutuis substantialis amor. Et Ecclesia, quam initio N. T.  
 representabant Apostoli, peculiariter promissus est à Christo Spi-  
 ritus*

ritus S. qui perpetuò in ea maneat, in omnem veritatem ducat  
doceatq; omnia Ioh. 14. v. 16. & 26. c. 15, 26. c. 16. v. 13 & seqq.  
Si igitur & Nos hospitio hujus cœlestis præsentiæ desideramus,  
donorumq; ejus participes fieri avemus, ne deferamus congre-  
gationem nostram, sicut moris est quibusdam, sed adhor-  
tantes alii alios: idq; eò magis, quod videtis diem illum  
appropinquare. Heb. 10. 25. Vnum cum Psalte vaudico unitè  
à DOMINO petamus, ut in domo DOMINI omnibus diebus vita  
habitemus. Ps. 27. 4. Latemur & exulemus, cum dicitur nobis:  
In domum DOMINI ibimus, quia illuc ascendunt Tribus,  
ad celebrandum nomen IEHOVÆ Psal. 122. v. 1. & 4. Exhor-  
temur alter alterum, dicentes: Venite, ascendamus ad  
montem DOMINI & ad domum DEI Jacob, & doce-  
bit nos vias suas, & ambulabimus in Semitis ejus Esa. 2. 30  
Mich. 4. 2.

II. Devotas orationes & ardentes deprecationes perseveranter  
ad DEVM fundendo. Venit quippe Spiritus Sanctus super A-  
postolos, προσκαρτερήσας ὁμοθυμαδὸν τῇ προσυχῇ κτλ. deītes, cum  
perdurarent concorditer in oratione & deprecatione. προσυχῇ  
illud precum genus est, quo bona tùm publica, tùm privata, eaq;  
vel animi, vel corporis, vel fortuna aut publicè aut privatim  
petimus. Hinc à Græco Scholiaste æcumenio in 1. Tim. 2. 1. exponi-  
tur αὐτοῖς ἀναδῶν. Δέησις verò est ἰκετηρία ὑπὲρ ἀπαλλαγῆς τῶν  
πινηῶν, supplicatio ob liberationem à rebus molestis sive deprecatio  
malorum, partim imminentium, partim jam prementium, tùm  
communium, famis, pestis, belli, tùm singularium quorumvis.  
His orationis speciebus D. Apostolus loco jammodò citato addit  
τὴν ἐν τῷ θεῷ, quâ vel de injuria nobis illata conquerimur. DEO  
vindictam committentes; vel pro afflictâ Ecclesia eiq; membris,  
inimicis item atq; hostibus nostris totiusve Ecclesie, ut ad agni-  
tionem veritatis perveniant, à persecutionibus desistant, con-  
vertantur & salvi fiant, intercedimus: tùm εὐχαριστίας, quâ pro  
acceptis beneficiis DEO gratias agimus, quas species h. l. non exclusi-  
di, sed includi verisimile est. Dum igitur Apostoli, magnis in

angustis constituti, perseveranter orant, deprecantur, intercedunt, gratias agunt, effunditur Spiritus S. ET NOS igitur, Spiritum Sanctum in corda nostra mitti, donatq. ejus in nobis augere cupientes, perduremus ad exemplum Apostolorum in oratione, deprecatione &c. Quandoquidem non ratione effectus duntaxat precu Spiritus à Zacharia Vate l. supra d. appellatur, quod corda nostra ad seriam atq. attentam DEI invocationem impellat, nosq. orare doceat, siquidem non possumus Christum appellare DOMINUM, nisi in Spiritu S. 1. Cor. 12, 3. in quo, utpote *καὶ ἐν ἁγίῳ πνεύματι* spiritu, excusso spiritu servitutis ac timoris, verà cordis fiducia clamamus: Abba Pater Rom. 8, 15. Vnde ipse in cordibus nostris pro nobis orare & clamare dicitur, Abba Pater Gal. 4, 6. Et cum, quid oremus, sicut oportet, nesciamus, adjuvare infirmitates nostras, *ὑπερωπυχάνων ὑπὲρ ἡμῶν στεναγμοῖς ἀλαλήτοις*, interpellans pro Nobis gemitibus inenarrabilibus Rom. 8, 26. Quem locum S. Augustinus Tom. 2. operum Epist. 105. ad Sixtum, ita interpretatur: Quid est a. interpellat, nisi interpellare nos facit? Indigentis n. certissimum indicium est, interpellare gemitibus. Nullius a. rei indigentem fas est credere Spiritum. Sed ita dictum est interpellat, quia interpellare nos facit, nobisq. interpellandi inspirat affectum: sicut illud in Evangelio: Non n. vos estis, qui loquimini: Sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Neq. n. & hoc ita fit de Nobis, tanquam nihil facientibus nobis, Adjutorium igitur Spiritus S. sic expressum est, ut ipse facere diceretur, quod ut faciamus, facit. Hac ille. Neq. ob id solùm ita appellatur, quia de gratia DEI & precum exauditione nos certos reddit, dans testimonium Spiritui nostro, quod simus filii DEI Rom. 8, 16.

Sed & ratione acquisitionis, quia precibus impetratur. Equis a. ex vobis, ait DOMINUS, pater, si filius (ab eo) petierit panem, lapidem ei dabit? aut si pisces, num pro pisce dabit ei serpentem? Aut si petierit ovum, num dabit ei scorpium? Si vos igitur, qui estis mali, nostis bona dona dare, liberis vestris, quantò magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum

tum S. petentibus ab ipso? Luc. 11, v. 11, 12, 13. In templo Salomonis, cum DOMINO adoleveretur incensum, gloriâ Domini templum replebatur I. Reg. 8. 11. Ita si precum odoramenta igne devotionis incensa, offers DEO, templum cordis tui Spiritus S. replebit gloria. Exempla desideras? Apostolis Act. 4, 31. orantibus, motus est locus, in quo erant congregati, & repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Sic Act. 8, v. 14. & 15. Petrus & Iohannes, Samariam à reliquis Apostolis missi, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum S. sc. visibiliter cum donis miraculosis: & acceperunt Spiritum S. v. 17. David Rex, ἀνὴρ καὶ τὸ καρδίαν Θεοῦ, vir secundum cor DEI I. Sam. 13, 14. Act. 13, 22. quando Spiritum S. commisso adultério & homicidio, penitens excussisset, totaliter amisset, & interveniente Nathanis Propheta concione penitentia, eundem denuò recepisset, nō alio, quàm orationis medio eundem retinere satagit, quando sic orat: cor novū crea in me DEUS, & spiritum rectum innova, in visceribus meis. Nē ne projicias me à facie tua & Spiritū tuū S. ne auferas à me. Ps. 51, v. 12. & 13. Atq; hoc idem sibi voluit iuge illud sacrificium veteris Pentecostes, in odorē quietis IEHOVAE offerendū Num. 28. v. 27. & 31. Hinc Nilus, Praefectus Constantinopolitani in paraneticis: Εἰ θέλεις εἶναι καὶ Θεοῦ, τοῦτο εὐδελουσμὴ τὸ προσελθόν, τὸν δὲ καὶ προσεγγε, si vis esse templum DEI, sacrificium iuge s. continuitatis, assiduam puta orationem, offeras. Et quisquā, has cū ita se habeāt, Spiritū S. precibus impetrarē, iisq; ad impetrandum eum, & χαρισμάτων ejusdem ἀξίον, uti dubitabis? Caterū quomodo preces nostrae, ut DEO placeant & exaudiantur, comparate esse debeant, nuperrimè, Dominicā vocem jucunditatis, verbi divini Praeones pro concionibus publicis fusè explicantes audivisti.

III. Verbum divinum attentè legendo, auscultando, meditando, & Sacramentis à Christo institutis legitimè utendo, Neq; n. dubium ullum est. Apostolos ὁμοθυμαδὸν congregatos, inq; oratione et deprecatione perdurantes, speciale πνεῦμα ἰησοῦ, de expectādo Hierosolymis promisso Patris, quod ex ipso iteratis vicibus audierant, ut supra vidimus, devotā attentione fuisse meditato, præceptumq; & promissionem DOMINI, cum vaticiniis V. T. de visibili Spiritus S. effusione hinc inde editis, quos

pum unum atq; alteram antea adduximus, sedulo contulisse. Hac igitur talia  
 pro conamine tractantibus, mittitur Spiritus S. Non fuit ejus rei nefcius ele-  
 ctum illud DEI ἡγορευον, D. Apostolus Paulus: Ideo ad Galatas, a pseudo Dd.  
 ceremonias atq; opera Legis, tanquam ad salutem essent necessaria, nimium  
 de predicantibus, fascinosos, & a veritate Evangelica desistentes; hoc so-  
 lum, ait, velim discere ex vobis; Ex operibus Legis Spiritum accepistis;  
 an ex fide per auditum percepta? Gal. 3. v. 2. & 5. Nec Apostolorum Se-  
 nior atq; os, quando ad Auditores suos, compunctos corde & quærentes,  
 quid facere debeant, poenitentiam, inquit, agite, & baptizetur unus-  
 quisq; vestrum, in nomine JESU, in remissionem peccatorum, &  
 accipietis Spiritum S. cujus & præcepti executio & promissionis com-  
 plementum ibidem legitur. Tria n. hominum millia, post attentè auditam  
 primam Petri concionem Pentecostalem, & baptismū, ad mandatum ipsius sus-  
 ceptum, Spiritum S. acceperunt & conversi sunt. Act. 2. v. 27. & seqq. Ita  
 Petro adhuc loquente, cecidit Spiritus S. in Cornelium, ejus domesticos & o-  
 mnes, qui verbum audierant, eadē Actorum historiā teste c. 10. 44. Quid Nos?  
 Num alia ratione hujus tanti hospitis præsentiam obtinebimus, retinebimus,  
 donorumq; augmenta capiemus? Nimis omnium. Verbum n. & Sacramentū  
 sunt velut quædam Spiritus S. ὀχήματα, & vehicula, quibus ad nos modo in-  
 visibili, quotidie divertit, mansionem apud nos facit, intellectum nostrum il-  
 luminat, nos regenerat, renovat, consolatur, regit atq; gubernat. Sunt res  
 lut infandibula, quibus cordibus nostris paulatim quasi illibitur. Sicut olim  
 manna decidebat cum rore: ita Spiritus Sanctus datur per rorem verbi. Hinc  
 verè & graviter Theander Lutherus in Psal. 131. Verbum, inquit, DEI est  
 aterus, in quo gestimur & formamur per Spiritum Christi. Quemadmodum  
 a. verbum DEI est Spiritus divini ὀχήματα: ita & μάχαιρα ἡ πνεύματος  
 est, quo Spiritus malignus profligatur. Sputum hominis jejuni serpentibus  
 mortiferum esse, testis est Plinius Lib. 7. c. 2. Ita per Evangelium, quod est  
 saliva & sputum Christi, infernalis serpens, tanquam ipsi γεννατοφόρον φά-  
 γματων fugatur. Quicumq; igitur Spiritus S. gratiosa præsentia gaudere;  
 ab antiqui verò serpentis insultibus ac morstibus liber esse volueris, assiduè Sa-  
 crum codicem versabis manibus, conciones sacras, his præsertim festis diebus  
 diligens frequentabis, atq; imbi lecta audiaq; altà mente recondes.

IV. Pacem atq; concordiam constanter colendo. Datur namq;  
 Spiritus S. Apostolis, ὁμοθυμαδόν, concorditer s. consentientibus animis atq;  
 studis eodem in loco congregatis. Nimirum est Spiritus charitatis & con-  
 cordiæ, ideoq; ibi est, ubi est finis præcepti h. e. Charitas de puro  
 corde & conscientia bona & fide non ficta, Hoc operatur in illis,  
 quibus



quibus gratiam tribuit adoptionis divinæ, quod operatus est in his, qui in historia hodierni festi inveniuntur eundem Spiritum accepisse, de quibus dicitur: Multitudinis credentium erat cor unum & anima una: Unus n. cor, & animam fecerat multitudinis credentium DEO, qui Patris ac Filii unus est Spiritus, & cum Patre ac Filio unus est DEUS, ut loquitur Episcopus Ruffensis lib. 2. ad Monimum. Quin idem nec hodie nisi illis datur, qui sunt ὁμόθυμοι, ὁμόψυχοι & ὁμόφρονες, tum in consensu vere doctrinæ, tum in conjunctione voluntatum, in rebus honestis suscipiendis & expediendis: qui, juxta exhortationē Apostoli portantes se invicem in charitate, sollicitē servant unitatem Spiritus, in vinculo pacis, suntq; Unum corpus & unus Spiritus, Conjungit quippe nos Christo per fidem, conjungit nobis DEO per charitatem, unit etiam nos cum proximo per dilectionem. Si vultis vivere de Spiritu S. ait August. Serm. 186. tenete charitatem, amate veritatem, desiderate unitatem, ut perveniat ad eternitatem. Hinc ipse Spiritus S. sollicitē ad concordiam fraternam omnes pios per os Davidis cohortatur ejusq; tum jucunditatem, tum utilitatem, exitis ornat similitudinibus partim à balsamo sanctuarii, superfuso capiti Aaronis, & in barbam ejus omniq; vestimenta ejus defluente, omnesq; circumstantes recreantes, partim à rore de monte Hermon in montes Sion descendente eos demq; fecundante, desuntis Quin & benedictionē suā id est bonum omnium remissione peccatorum, vitamq; eternam promptum exhortationi huic obsequium prestantibus gratiosē promittit: quæ sanè absq; Spiritu S. presentis & efficaci operatione consequi nemo potest. Diabolus contra discordiæ et separationis. Author, per peccata separat nos à DEO: per odia, contentiones & rixas homines à se invicē separat. Si itaq; cupis DEŪ habere propit. & S. S. fieri, esse & manere domicilium superbiam, invidiam, odium, contentiones & rixas fuge dilige proximum, concordiam ama. Atq; ita discordiarum author Diabolus à te fugiet. Sed satis esto. Fustus n. de hoc argumenti genere dicere neq; temporis, neq; instituti nostri, neq; intimationis ratio nunc patitur. Plura autem in hanc mentem, ut & de persona, officio & beneficiis Spiritus Sancti, de quib. annis superioribus, nec semel, nec forsā inutiliter differimus, per diē es hocce festos ex venerādis mysteriorū divinarum œconomis in templis publicè estis audituri, ad quæ, ut pote ordinaria Sacti flammis & præsentia, devotam animi intentione frequentanda vos, cives Acad. omnes & singulos paternè hortamur. Atq; sic, verba nobis præeunte. Vet. Eccl. ad DEŪ suspiramus.

Te nunc DEUS piissime, Dudum sacrata pectora Gloria Patri Domino  
Vultu precamur cernuo, Tu repleāsti gratia Natoq; quia mortuis  
Missa nobis cœlitus Dimitte nostra crimina, Surrexit, ac Paraclète,  
Largire dona Spiritus Et da quietia tempora. In seculorum secula.

# IN FERIAS PENTECOSTES

## DE SPIRITU SANCTO.

**N**obile dicendi genus est de FLAMINE Christi.  
At sublime simul, nec via cuiq; patet,  
Spiritus ætheriæ sedis nisi mentem animumq;  
Suaviter ac linguæ plectrâ canora regat.  
Nunc tua res agitur sancto de Numine FLATVS,  
Cujus ab æterno fons & origo bono.  
Inq; tuas laudes pia gens nunc ora resolvit,  
Et tacitis fibris carmina læta eiet.  
Tu, precor, illustra fulgenti lumine mentes,  
Quæ te sollicitant supplice voce DEum.  
De Patre te summo procedere, de Patris unâ  
Filio adorando, pectore & ore canunt.  
Te Triados Sanctæ Divino numine plenam  
Credunt personam, juraq; diva colunt.  
De te cunctarum pendent exordia rerum,  
Miratur finem te quoq; plasma suum.  
Tu solus charis Mortales donibus ornans,  
Mythica per mundi climata verba seris,  
Quæ prius amissam possunt revocare salutem,  
Ignoramq; piis suppeditare fidem.  
Christicolæ ut prompti sint dignos edere fructus  
Nomine, tum vitæ munus obire suæ.  
Inde homini magnæ surgunt encomia famæ,  
Ordine quæ refugo verba salutis habent:  
FLAMINE qui SACRO summi genitoris aguntur,  
Hi sunt æterno pignora cara DEo.  
Omnes supremo sunt pignora cara Parenti,  
Quorquot divinum Numine FLAMEN agit.  
Non odium his animos turbat, nec pectora livor  
Redit, amor verò corda calore fovet.